

Secundum Armand Seguin ¹⁰⁾ coffea quatuor variis substantiis constat, nempe: albumine, oleo, peculiari principio amaro et viridi materia, quae ex albuminis et principii amari conjunctione orta esse videtur.

Anno millesimo octingentesimo vigesimo et primo Giese, Runge ¹¹⁾, Pelletier, Caventau, Chenevix et Robiquet materiam coffeae propriam invenerunt, quam Coffeinum appellaverunt.

Coffeinum purum secundum praeceptum Rungii ita paratur, ut pigmentum extracti coffeae aquosi plumbo acetico praecipitetur, plumbum superfluum e liquore ope gasis hydrothianici removeatur, acidum aceticum ammonio saturatur, et liquor usque ad crystallisationem provide evaporatur. Jam crystalli alcohole iterum solvuntur, ut materiis alienis purgentur, quo facto alcohol, coffeinum solutum continens, parum tinctum apparet, et leni evaporatione coffeinum sub forma acuum crystallinarum seponit.

Coffeinum est materia alba, crystallina, leviter alcalina, nauseosi odoris et saporis, quae albas flexibiles non pellucas acus crystallinas format, in aqua frigida difficile, in ferventi vero, et in alcohole satis facile solvitur. In acidis quamvis solvatur, tamen secundum recentiores Pelletieri ¹²⁾ explorationes iis plene saturandis impar est, eamque ob causam etiam alcaloidibus adnumerari non debet.

Dumas et Pelletier coffeinum in ejus elementa resolverunt, et hasce eorum rationes invenerunt: partes 64,51 carbonei; 21,54 azoti; 4,81 hydrogennii et 27,14 oxygenii. Mirum vero, quod, etsi majorem copiam azoti contineat, quam aliae alcaloidae, tamen nunquam in putredinem abeat. In omnia fere salia metallica ita agit, ut ex eorum solutionibus metallum, quod conti-

10) Annal. de Chim. T. LXXXII. p. 5. übersetzt von D. F. Trommsdorf in Trommsdorf N. J. der Pharm. I. 2. 1817. S. 98.

11) Neueste phytochem. Entdeck. etc. p. 144.

12) Im Journal de pharm. Par. 1826. May.